

9854

*De principio caloris
ex theoria physices dynamica
non negando.*

Specimen inaugurale

quod

Consentiente Facultate

Medica Amplissima

P r o G r a d u D o c t o r i s

Priuilegiisque huic annexis rite

obtinendis

D. XVII. Septembr. A. MDCCCLXXXVIII.

H. L. Q. S.

Solenniter Defender

Auctor

Marcus Hirsch Mendel

Regiom. Boruss.

Physica.

305,27

Regiomonti

Typis Hartungianis;

Calor

Empirici, formicae more, congerunt tantum et utuntur;
Rationales, araneorum more, telas ex se conficiunt:
Apis vero ratio media est, quae materiam ex floribus
horti et agri elicit, sed tamen eam propria facultate
vertit et digerit.

FRANCISC. BACON. DE VERVLAMIO

Nou. Organ. L. I. Aph. XCV.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

Contra hanc Dissertationem

Argumenta opponent

Christoph. Ioann. Henr. Elsner,

Bartenstein-Borussus,

Henr. Ernest. Carol. Laubmeyer,

Regiomontanus,

Medicinae Candidati,

et

Ernest. Philipp. Andersch,

Regiomont.

Medic. Cultor.

ANNO 1591. DEDICAT.

MONSERRATO EDITORVM.

ETIENNE DESCHAMPS DEDICAT.

LIBRARY OF THE

UNIVERSITY LIBRARIES OF DRESDEN

UNIVERSITY LIBRARIES OF DRESDEN

UNIVERSITY LIBRARIES OF DRESDEN

20

20

§. L.

Praefatio.

Enter tot varia fata tantaque discrimina, quae
inde ab omni fere aetate res physicas magna
quidem vi rexere atque impediere, illa quidem, in
quam de calore theoria coniecta est, sors aduersa
illis prae ceteris obfuit; quippe cum de materia illa,
cuius in omnia physico-chymica tanta est vis, tanta
in illis dignitas, cuiusque cognitio tantum in illa
sustentanda eaque iuuanda habet momentum, ut,
illa quidem neglecta, nullum fere, quod obueniat,
phaenomenon nobis explicandum daretur, inque
omnibus physicis lacuna alias non explenda super-
esset, tam pauca eaque adhuc satis infirma constent.
Quid? quod materia caloris iam saepius in eo erat,
ut modo omnium fere corporum principium s. ele-
mentum haberetur, modo, quo aequo recentiores
mulctarunt phlogiston exilio, ipsa, ut videtur, ini-
quo adsiceretur.

Inde enim ab omni fere aetate de materia caloris suffragia ferebantur, quae, vtrum nobis sit nec ne, decernerent. Pars vtraque sententias habebat. In vtraque viri non paruae quidem auctoritatis steterunt.

Etenim ARISTOTELES iam elementum quoddam caloris ignisque posuit, quod e partibus constet minimis iisque mobilibus. EPICVRVS calorem de effluuiis igneis deduxit. BOERHAVE materiam caloris substantiam esse sui generis adfirmavit, cui quidem nomen ignis elementaris indidit. Postquam vero experimenta de calore ex aqua, dum conge-
lascit, oriundo, deque frigore, quod e glacie liquefciente educitur, a BLACK et WILKE instituta nun-
cupata sunt, a) plerique physici illi quidem senten-
tiae accesserunt. Attamen nulla fere aetate non
fuerunt, qui materiam calorificam negarent. Ab
his nempe partibus unus pro omnibus stetit BACO,
qui cauſam caloris nobis obiectuam b) in certa
corporum qualitate posuit. c) Quas vero partes

secu-

a) Annis nempe 1772, 1773.

b) Certo, Lector, verbis me vſum barbaris non incusabis,
quae si euitare voluissem, nimis verbosus factus esset li-
bellus, atque paraphrasibus sat adcumulatis perspicui-
tatis forte non paruam faceret iacturam.

c) Haec enim eius verba: Calor est motus expansiuus, per
quem corpus nititur ad dilatationem sui et recipiendi

ſe

secutus sit CARTESIVS (cui quidem NEVTON accedit) decernere non audeo, quippe cum ille quidem ignem esse elementi principis s. materiae subtilis (NEVTON vero materiae lucis) motum vehementem adfirmaret. Cum his iidem fere senserunt MARIVEZ et GOFFIER, libri, qui *Physique du monde* inscriptus edi coepit, auctores. Ipse vero EVLER, alias CARTESII fidelissimus sectator, ens quoddam igneum idque elasticum ponendum putauit. At vero

Multa enascuntur, quae iam cecidere, cadentque quae nunc sunt in honore — — —.

Et recentioribus quidem temporibus plures fuerunt physici, qui materiam caloris negarent, et quidem viri non paruae quidem auctoritatis, vt BOVRDENAVE, KRATZENSTEIN, LORENZ aliique, qui nempe calorem de motu corporum singulari deducerent, quorum vero argumenta cauiss magis minusue certis hinc inde reuicta sunt. Multo vero mirabilior ista negatio nunc quidem, metaphysica naturae euoluta statilitaque, denuo prolata. Quae enim cum materiae fines regat, illam dissensionem componere certo valebit.

Materia scilicet caloris nuper a SCHERER denuo
A 4 nega-

Se in maiorem sphäram siue dimensionem, quam prius occupauerat. — Calor non generat motum, nec motus generat calorem, sed ipse calor est motus cet. Nov. Org.
L. II. Aph. XX.

negata est. d) Eum tempore secutus est SCHELLING, qui vero in altero quidem libro e) materiam caloris plane negat, in altero vero, f) ubi nouam caloris theoriam stabilire tentat, materiam calorificam nobis ponendam putat, et si ipsam aliam definiat, quam hucusque definita est, solumque ad theoriam caloris physicam struendam eam posuit. Isti quidem negationi et experimenta caloris e corporibus confundandis euoluendi a RUMFORD nuper facta plane quidem respondere eamque confirmare videntur. Cum vero nihilo minus plerique physici de materia caloris suffragia ferant, eo magis mirum videtur, quod argumenta quidem ab illis prolata plane fere negligantur. Nonne toti quidem et physicae et chymiae firmis quibusdam de calore statutis optime consuleretur? — Cum vero forte obiciatur, argumenta nonnisi a priori proposita in physicis iuandis nullius esse rei, illudque BACONIS: non *excogitandum* sed *experiendum* quid natura faciat aut ferat, vel, quod eiusdem fere est sensus:

Feindschaft sey zwischen euch (Physici nempe et Philosophi!)
noch kommt das Bündniß zu frühe,

- d) *Nachträge zu den Grundzügen der neuern chemischen Theorie, geliefert von A. N. SCHERER.* Iena 1796. S. 160. ff.
 Wenn
- e) *Ideen zu einer Philosophie der Natur.* Leipz. 1797.
 f) *Von der Weltseele. Eine Hypothese der höhern Physik zur Erklärung des allgemeinen Organismus.* Hamb. 1798.

*Wenn ihr im Suchen euch trennt, wird erst die
Wahrheit erkannt.*

*Jeder wandle für sich, und wisse nichts von
dem andern;*

*Wandeln nur beyde gerad, finden sich beyde
gewiss. g) —*

opponatur, equidem haec respondenda existimo. Quanquam ipsius quidem materiae caloris, quam in corpora exferit, vim specificam solummodo recta via synthetica i. e. obseruationibus nec non experimentis adcuratius factis explorari posse nemo sit negaturus, quem, illa solummodo via scientiam augeri eiusque fines proferri, non fugit, tamen illa quidem, quae ad caloris naturam cognoscendam nos ducat, via fat confragosa, innumerisque ibi diuerticulis falsis, ex effectibus illius iam cognitis, philosophia duce, via nempe analytica, quaedam de ipsius indole firmiora expedire atque sistere licet, quae via progredientes recta adiuuent, de via declinantes nos reducant, defatigatosque suscitent atque recreent. Experientia quidem sola cognitionem auget, cui vero metaphysicam plane negligere non licet, quippe cum hac, ut disciplina, non tam vera aduocentur, quam falsa auocentur. Ideoque ne in materia caloris tam subtili, leges quidem, quas disciplina nobis fert, communes euertantur, cauendum. Nullis enim legibus, ex obseruatis ex-

A. 5 peri-

g) SCHILLERS Musenalmanach f. d. Jahr 1797. S. 244.

perientia expediri nequit, illis vero summis meta-
physicis neglectis eoque phantasia nullis fere limiti-
tibus cohibita planeque sui iuris, hypotheses pan-
guntur, quae, cum fundamentis infirmis superstru-
antur, non magni quidem fieri possunt momenti. —

Sanctis legibus academicis, ad quas seruandas
honores Doctoris adepturo et prescribenda et pu-
blice defendenda est dissertatio inauguralis, rite
satisfacturus, quaedam de caloris materialitate ad-
feram, ita ut partim quae eam probare, partim
quae eam negare videntur proponantur. Neque
vero dissensum nisi nuper renatum exquiramus.
Et si vero vtraque pars argumentis gaudet, tamen,
quae materiam caloris ponendum putauit, mihi
quidem certior videtur. — Ut vero, antequam ad
rem ipsam tentandam ipsi adgrediamur, de iis, quae
SCHERER et **SCHELLING** de hac materia proposue-
runt, argumentis communis feratur sententia, non
possum non confiteri, illa quidem non minimi aesti-
manda esse. Antequam enim materia caloris adcu-
ratius probetur, quaecunque vel huic sententiae
consentiant vel eam reprobent, maioris quidem
momenti sunt, quam ut de illis reticeatur. Ideoque
celeberrimus **SCHERER**, vir de chymia in Germania
nunc temporis adiuuanda meritissimus, neque mi-
nus illustris **SCHELLING**, vir de disciplinae naturae
in

in chymia dignitate prouocanda optime meritus, et de hac materia laude dignissimi a nemine non dicentur, quippe cum noua quaedam attulerint, quae ad illam denuo adcuratiusque disquirendam excitant. Itaque his argumentis plane fere adhuc neglectis, quae opponenda videntur, adferam, neque vero alterius partis studiosus materiam caloris omnino adfirmandam puto, sed tantum illa quidem argumenta nondum certissima explicabo, quo circa illam probare tentabo. Me res quidem sat arduas moliri, non me fugit. At vero cum non dubitem, nullum fore rei peritum, quem haec fugiant, sat ero contentus, nisi, quaedam ad argumentum illius stabiliendum noua a me adlata esse, prorsus negabis.

§. II.

Cauffa in duas partes discedit.

Cum vero quaestio, an materia sit caloris, et si leuiter consideretur, notionem caussae controuerfae nondum satis circumscriptam neque satis definitam animaduertimus. Quae vero definitio ut omnibus caussis componendis, sic et huic praeeat necesse est. Etenim vero SCHERER nullo quidem libelli, qui materiam caloris non esse probet, loco, quam materiae notionem ibi constitutam esse velit, monuit. Qua enim indefinita, errores euitatu difficillimi sunt.

Scilicet

Scilicet vocabulo materiei, potissimum vero in lingua, qua differit SCHERER, teutonica, duplex vis subiecta est. Ex altera nempe *materia* est *id, quod spatium implet.* h) Alter vero sensus hanc quidem *materia* notionem generalem ponit, at vero istam individualem considerat, cum ipse eius *varietatem s. diuersam virium, quibus spatium impletur, primituarum rationem spectet.* Vocis itaque illius ambiguitas notionumque homonymia prorsus tollenda videtur, quo, quae fieri potest indeque iamiam orta est, confusio, expediatur. Ideoque cum, quod spatium implet, materiam nominari placeat, istam illius varietatem nomine *materiae s. substantiae sui generis s. principii discernendam puto.*

§. III.

Materia caloris probari potest.

Etenim materiae essentia cum nihil aliud sit
atque

h) Solummodo hanc qualitatem cuicunque omnino materiae communem, sine qua mempe *materia* nobis intelligi nequit, attingendam puto, quippe cum ceterae illius notae et si non minus vniuersae, nempe phoronica i. e. *mobilitas*, *mechanica* i. e. *vis motrix ei insita*, *phaenomenologica* i. e. *intuibilitas s. visibilitas*, quae dicitur, externa [Conf. KANTS metaphysische Anfangsgründe d. Naturwissenschaft. S. 1—16—138.], non ad *materiae essentiam (Wesen)*, sed tantum ad eius *naturam (Natur)* pertineant.

atque spatii impletio, nonnisi quod spatum implet nobis materia dicenda. Atqui vero quod visioni externae s. empiricae est obiectum, spatum implet necesse est. Nam pone spatum non impleri, tunc et visioni non respondet. Spatum enim non impletetur,

a) vel vi attractiua $= 0$, i. e. vi repulsua $= \infty$, vbi nullis finibus rectis in nullo spatio relatiuo retineretur materia, i. e. in infinitum dissiparetur ideoque in nullo spatio relatiuo quantitas finita inueniretur, quae visione externa percipi posset;

b) vel vi repulsua $=$ zero s. quod idem est, vi attractiua $= \infty$, vbi tam prope conuenirent materiae partes, vt nulla sit inter eas distantia, i. e. punctum oriretur mathematicum, quod visioni externae respondere non posset.

Itaque quod spatum implet visibile est, quod vero spatum non implet, visionis obiectum fieri non potest. Ergo quodcunque visionis externae obiectum viribus et repulsua et attractiua extenditur atque continetur, i. e. spatum implet. Quis vero calorem esse phænomenon s. visionis obiectum negabit, cum id quod ipsum sensum s., vt Darwin ipsum nominat, caloris appetitum adficiat, nomine caloris (s. calorici) adpelletur.

Erunt forte qui hanc probationem superfluam
judi-

iudicent. Neutiquam vero plane superuacua vide-
tur his quidem lectis: "Fast in allen Lehrbüchern
der Chemie und Physik heisst es: „die obiective
Ursache der Empfindung, die man unter dem
Nahmen der Wärme kennt, heisst der Wärme-
stoff.“ — Allerdings setzt jede Wirkung eine
Ursache voraus — aber es ist noch nicht ausge-
macht, dass diese selbst materieller Beschaffen-
heit seien müsse." i) — Imo non fieri potest, quod
caussa, cuius vis in spatio exseritur i. e. materialis
est, ipsa materia non sit. Illi enim effectus non-
nisi ratione obiecti, qua ad animum nostram refer-
tur, exstant. Cum vero sensibus nonnisi materia
percipiatur, et illius efficaciae s. sensus caussa mate-
rialis esse debet. Cum vero ibidem sic pergatur:
"Denn was stünde uns sonst im Wege, auf eine
ähnliche Art zu raesonniren, die obiective Ur-
sache der Empfindung des Geruchs sei der Riech-
stoff — des Geschmacks, der Geschmackstoff —
des Schalles, der Schallstoff, u. s. w.", ex voce
illius materiae cum voce principii perperam confu-
sa, notionum confusio orta esse videtur. Caussa
enim obiectua olfactus, saporis sonique omnino
materialis est; vnde vero, illam principium esse, col-
ligere non licet. Idem fere de alio in illo libro loco
iudicium ferendum videtur, vbi nempe k): "Der
auf-

i) SCHERERS Nachträge zu den Grundzügen cet. S. 160.

k) Pag. 161.

aufgestellte Satz (scilicet: die obiective Ursache der Empfindung, die man etc.) ist also nur in so fern wahr, als die Empfindung der Wärme (und des Lichts) eine Ursache voraussetzt: Muss denn aber nun diese durchaus selbst materieller Beschaffenheit seien? Kann diese Ursache nicht schon das Verhältniss, die Umstände seien, in und unter welchen, Verbindungen ponderabler Substanzen statt finden?" — Hic enim denuo notionem materiae non satis definitam inuenimus, cum et ratio, qua substantiae coniunguntur, ipsa materialis ponatur, necesse sit. Cum vero porro: "Sobald man die Materialität der Ursache der Wärme (und des Lichts) zugestehet, erlaubt sich sogleich der Chemiker derselben, so wie allen übrigen bekannten Materien, alle Attribute einer Materie zuzueignen," haec quidem respondenda puto. Notas quidem, quae cuique materiae tribui debent, (mobilitas nempe, spatii impletio, vis motrix atque intuibilitas) chymici materiae caloris nequaquam abiudicabunt. At vero virium primitiarum quae in illa sit intensitas specifica i. e. quae ipsius sit natura non a priori sed synthetice a posteriori cognosci potest.

Sufficient haec, quae materiam caloris satis probare videntur. Itaque his quidem expeditis ex ordine apto ad alteram inquisitionis partem ad grediamur, atque in antecessum.

§. III.

§. III.

*An principium caloris probari possit,
consideremus.*

Liceat ex philosophia naturae lemmata quaedam
huc conferre, e quibus nempe, vtrum principii ca-
loris positio iis repugnet an respondeat, colligendum
erit. His enim praemissis et argumenta a SCHERER
et SCHELLING prolata adcuratius inquirere poteri-
mus. —

Materiae essentia s. spatii impletio vtrisque viri-
bus primitiuis, repulsiua nempe atque attractiua,
constituitur. Quae vero vires cum vt lineae eaeque
rectae cogitandae sint, vnum quidem punctum ha-
beant commune necesse est. Ab ipso vero punto
illae vires in directione, cum altera alteram coer-
eat, altera alteri obluctetur, recte opposita visioni
construendae sunt, ita nempe vt, vbi altera agere
incipit, altera definit. Spatium vero secundum ra-
tionem illarum virium primituarum diuersam di-
versa intensitate impletur. Nequaquam igitur pro-
banda videntur, quae de viribus illis mathematice
construendis differit ESCHENMAYER. I) Quod nempe
naturae metaphysica vi attractiuae infinite parui, re-
pulsi-

I) Principia quaedam disciplinae naturali, in primis che-
miae ex metaphysica naturae substerenda, Tübinc,

pulsuæ vero insinuæ magni notionem adplicet, ipse probare tentauit. At vero quisnam intelligere potest, quod vis infinite parua vim infinite magnam tantopere coerceat, vt in finitum quoddam haec cohibeatur? Quisnam porro vim attractiua esse $= \frac{r}{\infty}$ probare potest, cum illius quidem actio in distantias infinite remotas exferatur? Evidem has vires, vt materiae constituunt essentiam, singulas neutiquam quidem mathematice construi posse puto. Solummodo altera altera iam cohibita illo modo dari potest. — Itaque magis mihi placeret illa ratio, qua altera illarum virium vt quantum posituum, altera vero vt negativum cogitur, vbi vero vis repulsiua positiva non absque iure statueretur, cum illa quidem prima animo apprehendatur et quidem sola visioni obiectum est, vis vero attractiua neque formam neque magnitudinem materiae nos doceat eoque nonnisi ratiociniis cognoscatur. — Ipsa vero varietas nobis non cognoscenda nisi, analysi praemissa, synthesis a posteriori s. experientia aduocetur. Illud nempe materiae schema, qui materia esse possit, haec vero varietas, qui materia est, docet. Hic nempe fines regendae, vbi illud poetae non impune negligendum erit.

Materiam itaque sui generis s. principium sic definimus, vt sit virium, quae materiae sunt insitae,

B

primi-

primituarum ratio a ceteris nobis notis natura scilicet diuersa s. quae a ceteris heterogenea est. Ipsa vero heterogeneitas nonnisi sensibus adfectis definitur. m) Qualitas vero materiae nonnisi gradibus cognoscitur diuersis, ita ut v. c. non calorem a nobis sentiri dicamus, sed tantum ipsius gradum maiorem minoremue. Gradus vero ille qualitatis a virium ratione quantitatua pendet. Principium igitur, cuius vis repulsua = a, attractua = b ponatur, ab alio quidem, cuius vis repulsua = 2a, attractua = 2b, solummodo gradu diuersum percipitur. At vero illud natura s. qualitate ipsa discrepat a principio, cuius vis repulsua = 2a, attractua vero = b definitur.

His perspectis materiam caloris, cum ratione virium primituarum a ceteris principiis sit heterogenea, (quam vero heterogeneitatem ex sensibus calore singulari quidem modo adfectis colligimus) et substantiam sui generis s. principium haberi posse, liquet.

Haec

m) Chemici vero hanc varietatem vel protogeneam vel deuterogeneam esse dicunt, ita ut substantiam, cuius virium ratio s. qualitas specifica neque ex aliarum syncrisi constitui neque diacrisi nobis commutari potest, primituam s. elementarem s. nobis indissolubilem, illam vero quae vel ex aliarum syncrisi componi vel ex ipsius diacrisi commutari potest, chemicam s. compositionem s. solubilem nominent.

Haec quidem sunt, quae ad principium caloris ponendum ex disciplina naturali adferri possunt, quaeque illius negationem in dubium vocare valent. Et vero istorum a SCHELLING et SCHERERI argumentorum consideratio illam negationem adhuc dubiam relinquunt, cum non pauca quidem eaque non parui momenti illis opponi possint, quae quidem ut nunc examinemus, ordo iam vocat.

§ V.

”*Caloricum ponderari non potest, ideoque neque substantia est, neque chymiae obiectum.*” n)

Quae quidem caussa non difficillima est compositu, distinctione vero inter grauitatem atque ponderabilitatem adcuratissima praemissa o) Scilicet materia, cum vim sequatur attractiuam, quae maxima in illam agit, *gravis* dicenda. *Ponderabilis* vero materia est, quae vi illa attractiuam adduc-

B 2

ta

n) Caussas quidem in libro auctoris SCHERERI citato pluribus quidem verbis iisque teutonicis expositas, hic, vt pancis iisque magis congruis proponantur, excerptas atque latine versas redbo.

o) Quam quidem distinctionem neglectam esse, ex his SCHERERI (L. c. p. 134.) — ”Man hat noch nicht darthun können, daß die Theilchen des Wärmestoffs (die ihm doch als Materie zukommen müssen) der *Schwerkraft* unterworfen wären; wir müssen ihn also als eine völlig *imponderable Substanz* ansehen,” — liquet.

ta materiam inter substantiam, quae attrahit (terram), substantiamque, quae attrahitur, interpositam vi mechanica repellit eaque tanta, ut sensibus nostris percipiatur ista repulsio. Materia igitur grauis imponderabilis est, nisi vis illa attractiva vim materiae interpositae repulsuam tantopere superet, ut a nobis animaduerti possit. Grauitas igitur nequaquam cum ponderabilitate congruit. Signetur grauitas litera A., ille vero quo corpus interpositum spatum occupat, gradus litt. B., et erit ponderabilitas $= A - B$. Itaque pone $A < B$ vel $A = B$, tunc materia et si grauis tamen ponderari non potest. Grauitas vero materiae necessaria, cum e vi attractiva deriuetur, ponderabilitas autem nequaquam necessaria cum ab illius pro corporum diueritate diuerso gradu pendeat.

Ex his igitur liquet, principium caloris ex gravitate ipsius negata negare, nihil aliud esse quam negationem in orbem implicare. Neque vero minus ex illis, illud principium ex caussa imponderabilitatis neutiquam negari, patet. — Et similis erat atmosphaerae ratio usque ad TORRICELLI tempora. Imponderabilis enim habebatur. Quare? quia modus eam ponderandi defuit. Iam quidem ARISTOTELES postque eum Scholastici caussas antliae suctoriae, siphonis cet. examinarunt, de via vero recta declinarunt horrorique vacui illas adscripte runt.

run
prin
olin
cip
cal
pii
xin
pe
eti
po
te
q
m
ba
g
b
e

runt. Nonne etiam fieri potest, quod methodus principii caloris ponderandi adhuc ignota nobis olim innotescat? Nonne illius pondus sensibus perciperetur, si materia interponi posset inter terram caloremque rarissima, aëre rarior? —

Hic vero duo, qui de ponderabilitate principiis caloris orti sunt, errores notandi videntur. Maxime vero mirum videtur ut toto coelo sibi discrepent, alterque alteri non solum contradictorie sed etiam contrarie oppositus sit.

Fuerunt scilicet, qui principium caloris nobis ponderari posse iudicarent. Inter hos quidem praeter BOYLE et BVEFFON, experimenta aduocabo e quibus potissimum factis MARAT, p) eodem fere modo, quo illi, ipse ignis ponderabilitatem probare ausus est. Prae ceteris nempe haec attulit: globulus argenteus, qui sex vnciarum pondus habuit, pondere granorum quinque semisque auctus est, cum lumine rubro arserit; porro globulus cu-

B 3

prinus,

p) Libri inscripti: *Memoires académiques ou nouvelles découvertes sur la lumière, relatives aux points les plus importans de l'Optique.* Paris 1788. 8. auctor idem demagogus crudelis, qui, die 13. Iulii 1793, fortissima filiae, ciuis Franco-Gallicæ, manu priuatus est vita, quam neque in re literaria neque in republica honestissimam egerat.

prinus, qui quindecim vnciarum sexque drachmarum habuit pondus, cum canduerit, pondus eius duobus granis auctum, postquam vero ipsum frigefactum est, pondus tribus granis minutum est. Ipse quidem MARAT ex his, fluidum istud igneum ponderabile idque specificē grauius esse aëre, colligendum putat. Quibus vero partim illa Mvsschenbroekii opponenda, quod nempe corpus quodus, cum frigidum itaque in aere densiore libretur, minoris esse debeat ponderis, quam calidum itaque in aëre rariori pensum, cum pondus partim a gradu, quo corpus inter materiam grauem terramque interpositum spatiū implet, diuerso eiusque inde densitate pendeat. At vero partim et experimenta a BVONO, Mvsschenbroek atque recentioribus quidem temporibus a FORDYCE, MORVEAV, CHAVSSIER, GOVVENAIN et EIMBKE facta q) illis experimentis contrarie opposita sunt, quippe cum non modo corpora calefacta non grauiora, imo leuiora inuenientur. Neque magno quidem iure certiora habenda videntur, quae de principii caloris in oleo sic dicto vitrioli s. acido sulphurico quantitate pondere definienda exposuit RICHTER. r)

Alter

q) Quae quidem paucis enarrata inueniuntur in GEHLERS physikalischem Wörterbuch. 1787 — 1795. Th. II. S. 216. — Th. III. S. 547. — Th. V. S. 937. —

r) Anfangsgründe der Stöchiometrie. Th. II. S. 113. —

Alter vero de principii caloris grauitate definita error illi contrarie oppositus in his positus est. Ex illis nempe partim, quae corpora calefaciendo fieri leuiora docent, partim ex ipsius principii caloris motu, quo dissipatur, in recta linea, aliqui physici illud principium esse utique s. absolute leue s. negatiue graue (GREN), s. antigraue (PICTET) collegere. At vero apte quidem LINK,^{s)} qui et ipse partim huic opinioni accedere videtur, opponit, quod fieri possit, vt crus parabolicum, quod materia grauis eaque coniecta, percurrere debet, magna quidem calorici celeritate, tam paulum nobis currum sit, vt ipsum septuaginta-pedale (tanta enim speculorum vstoriorum, quae in caloris reperclusum tentandum adhibuit PICTET, fuit distantia) recta cum linea nobis fere congruat. — Ceterum quae grauitatis notio? Nonne corpus, cui pro massa ratione maxima vis attractiva maxima, sequendis? Quae igitur notio esset negatiuae grauitatis? Nonne sibi contradiceretur, quod sit corporis vim attractiuam, quae in id agit, maximam fugiendi nisus? — Evidem existimo, quod vis vero illorum vocabulorum absconorum ea esse debeat, vt in principio caloris vis repulsiva gradu maior sit quam ipsius attractiva, ceterarumque substantiarum repulsiva. —

Ideoque omnia experimenta, e quibus alii principii caloris ponderabilitatem, alii negatiuam grauitatem colligunt, non firmas quidem caussas illarum probandarum suppeditant, neque ipsa difficultima sunt explicatu, si principium caloris aëre leuius esse, atque corpora calefacta in aëre rariori quam frigefacta librari, concedimus. —

Ex his de grauitate nec non substantiarum ponderabilitate dissertis, illa quidem, quae de imponderabilibus a chemicis non inquirendis exposuit SCHERER, in dubium reuocanda esse, constat. Imponderabilitas enim materiae hypothesin non magis constituit, quam ipsa ponderabilitas, quae ab arte profecta pendet indeque tantum subiectua est, materiam visioni nostrae per se definit. Nequaquam igitur probata videntur, quae de principii oxygenio, azoto hydrogenioque certioribus differit SCHE-RER: t) "Warum sollte ich an der wirklichen Existenz einer Materie zweifeln, sobald mir die Ponderabilität dafür bürgt? Etwa darum, weil ich sie nicht sinnlich vorlegen, nicht sehen, schmecken, fühlen kann?" Omnino quidem solummodo sensibus percipitur materia, neque ponderabilitas nobis esset, nisi, cuius caussa est, motus sensibus (visu vel tactu) perciperetur. —

t) Nachtr. z. d. Grundz. cet. S. 155.

§. VI.

*"Principio caloris posito, et principia soni,
"odoris et saporis ponenda."*

Antequam hanc quidem caussam inquiramus, monendum censeo, ut alia hic sit vis in voce principii (Grundstoff). Principium enim chymicis est qualitatis in materia quadam definitae caussa ignota. Scilicet si substantiae cuiusdam = A. in aliam = B. actio commutatur, alia quidem substantia = C. ponenda, quae cum A. coniuncta ipsam actionem commutet, ita ut haec ex AC. exseratur itaque alia esse debeat. Hic nempe, vbi C. quasi medium est quod per se constitui non possit, ipsa substantia C. principium dicitur. Cum v. c. argentum cum acidu[m] muriatoso committas, nullam alterum in alterum exserit vim chymicam. Ipsum vero acidum, cum antea cum magnesio coquatur, argentum soluit. Optimo iure hic concludimus, cum acidum A. nunc alias in argentum B. agat, aliam substantiam = C. accessisse (quam quidem ex caussis non integerrimis principium oxygenium nominari constat). Itaque, dum analogiam sequimur, cum substantia quaedam A. corpus nostrum B. calore adficere cooperit, substantiam quandam C. accessisse colligimus, quam quidem principium caloris nominamus. Quid ex his? Porro concludimus, quod, si ex ista mixtione = AC. substantia A. diuellitur, C. liberum fieri

fieri debeat seseque cum aliis coniungere possit. Cum v. c. argentum in acido nitrico solutum indeque sale alcalino deiectum (quod acido quidem muriatoflo soluitur, et si antea non ipsi adiungantur) igni admoueas, quid tunc? accipies argentum = A atque oxygenium diuulsum forma aeris abit. Idem fere de calore. Gas nempe ammoniacum ab ammoniaco (cum acidis vel aqua) fixo discrepat. Cum vero illud, dum nascitur, calorem dirimat, gas ammoniacum ex ammoniaco atque principio caloris constare concludimus. Quid tunc? Si ammoniacum ex gas illo diuellitur (v. c. aqua) fixumque restituitur, illud principium secerni debet, quod etiam calore ibi oriundo animaduertimus. Nonne haec quidem analogiam sequuntur?

Nunc vero odorem, saporem atque sonum considerabimus. E substantiis quibusdam mixtis odorem pandi percipimus, qui vero odor secundum substantiarum miscendarum diuersitatem ipse varius est, ita vt bene ex illarum qualitate = AB nobis explicari possit odor neque principium quodam singulare ponendum sit. Praeterea principio odoris posito, quid tunc? Illis substantiis A et B diuulsi ipsum principium, cauſa odoris = C separaretur, quod vero non fit. Ammoniacum aduocetur exemplum. Ipsius odor ex azoto et hydrogenio pro certa ratione quantitatua coniunctis de-

riuan-

riuandus est, quia inde facile deduci potest, neque
alio principio ad explicationem opus est. Quid
vero principio tertio hic posito? Si illa quidem
principia ex mixtione diuellerentur (v. c. oxydo
plumbeo), tunc istum principium secerneretur,
quo vero non sit. — Eadem quidem de sapore
commentanda censeo. — Principium vero sonorum
non ponendum est, quia ipse sonus ex corporum
elasticorum, potissimum aeris, oscillatione, vi me-
chanica prolata, neruisque auditoriis adlata optime
explicari et quidem experientia probari potest, cum
ex eo, quod sonus eo validior sit, quo maior cor-
porum, e quibus ille mittitur, elasticitas, tum e
motu, quem corpora sonora aquae admotae com-
municant, vndulatorio aliisque. —

§. VII.

” *Phaenomenon caloris e principio caloris deri-*
” *vari non potest. Quomodo enim corpora sie-*
” *rent calida? Non nisi ex ipsius in illa penetrati-*
” *one chemica. Huius vero chemicae coniuncti-*
” *onis characterem dat naturae, non vero for-*
” *mae inde orta commutatio. Ad corporum vero*
” *formae mutandae explicationem principium*
” *caloris aduocetur neutiquam necesse, cum illa*
” *qui-*

"quidem ex virium attractuarum atque repul-
"suarum ratione diuersa explicari
"possit." —

Quibus quidem caussis non infirma quaedam opponi possunt. Notionem enim formae a notione naturae, quae vtraeque chemicis usurpantur, accuratius dignoscendam puto, quam vero ibi non satis dignotam inuenimus.

Substantiae dicuntur homogeneous, in quibus virium primituarum rationes congruunt, heterogeneous, in quibus illarum rationes inter se discrepant. u) Substantiarum homogenearum coniunctio cohaesio, heterogeneous mixtio chemica dicitur. Summa igitur virium primituarum quae in substantias homogeneous agit, diuersam illarum cohaesionem s. densitatem s. formam constituit. Summa vero illarum virium, quae in substantias agit heterogeneous, mixti naturam definit. — Nunc vero quaeritur, an cohaesione illius commutatio sine

- u) Sententia quidem a SCHELLING (Ideen z. einer Philos. etc. S. 235.) lata, ex qua heterogeneous substantiae eae sint, in quibus virium ratio altera alteri opposita (non tantum diuersa) est, i. e. quarum alterius elasticitas ad alterius elasticitatem ratione inuersa refertur non minus quam vtrarum que massa, in dubium vocanda videtur, cum et ratione etsi non inuersa tamen diuersa corpora heterogeneous animaduertantur.

sine substantiae heterogeneae actione fieri possit? Nemo quidem hoc negandum dubitabit. Nullo enim modo virium primituarum ratio commutari potest, nisi alia illarum ratio eaque diuersa cum illa iuncta eam immutet. Si igitur, an aqua a glacie natura quidem discrepet, quaeritur, equidem adfirmandum non dubitabo. Nonne enim substantiae cuiusdam heterogeneae actione opus est, [quae aquae congelascentis caussa ponatur? — Ex his igitur, in vno corpore vnam solummodo formam eamque primituam ponendam esse, liquet. Quae quidem ex ratione virium ei insitarum deriuari potest. Sin igitur aquae formam primituam esse solidam poneres, tunc aqua liquida atque vapor aqueus non a forma pendent sola, sed potius a natura aquae commutata. Istam igitur, quae chemicas dicitur, formae transmutationem ab substantia heterogenea s. a chemica mixtione pendere, iam ex his constare videtur. Cum vero nobis alia substantia, quae in singulis quidem formae mutationibus agat, ignota sit,^{x)} in quacunque vero et calor mutetur, ipsam substantiam, quae virium primiti-
varum

^{x)} Sententia illa SCHERERI (L. c. S. 165—166.), quod nempe ratio virium primituarum a *pulsu*, qui in aeris partes ponderabiles agat, mutetur, iamiam ab auctore retractata est (Allgemeines Journal der Chemie. B. I. H. I. S. 36.), cum ipsius pulsus mechanici caussa materialis eaque externa siue aliena essa debeat, ita ut explicanda in orbem implicentur,

Varum rationem formamque commutat, principium caloris esse concludimus. — Et quidem ex experientia aduocari potest exemplum, quod formam a virium, quae substantiis homogeneis insitae sunt, primituarum ratione deriuandam non esse docet. Aëris nempe forma s. extensionis gradus diuersus non solum ex viribus illius basi insitis explicari potest. Regula enim illa MARIOTTI experimentis probata, aëris in spatum bis vel quater minus compressi elasticitatem bis quaterue augeri, docet. Lex vero de viribus, quae repellunt, primituis lata, illarum gradum in distantiae particularum homogenearum ratione cubica eaque inuersa vel augeri vel minui, docet. Hinc igitur sequeretur, quod aëris in spatum bis quaterue angustus compressi elasticitas fieri deberet octies vel sexagies quaterque maior. Ponenda igitur et ex his alia substantia, quacum illae mutatae aliam normam sequantur, quae vero materia ex caussa supra adlata principium caloris vocanda videtur.

Attamen vero explicatu difficilis videtur ratio, qua principium caloris substantias modo calefaciat, modo extendat. Quam quidem definire uon audeo. Forte ex diuerso principii caloris cum ceteris substantiis coniunctionis gradu explicari potest. Scilicet forte ponendum, quod illud principinm illis substantiis modo intime sit adsine iisque admix-

tum

tum ita ut neque a corpore animali neque aliis substantiis ei minus ad finibus diuelli possit, modo vero haec illi ad finiora sint, ita ut calor illis diremptus hisque admotus sentiatur. In illo quidem statu principium caloris corpora non nisi extendit formamque, ut dicitur, transmutat, in hoc vero calore nos nec non thermometram adficit. Quae quidem explicatio, etsi caussis nondum expeditis, tamen analogiam sequi neque experientiae obstarē videtur. — Eadem fere oxygenii ad azotum ratio. In quarum nempe mixtione si oxygenii quantitas minor est (ut in aëre illo a Priestley inuenito, a chemicis vero Batauis clarissimis ad curatius examinato, quod gas azoticum oxydatum nominari solet, vbi nempe ratio quantitatiua oxygenii: azoti = 37: 63, vel in atmosphaera, vbi illa ratio fere = 27:73), eo facilius oxygenium vires exserit proprias faciliusque ab aliis corporibus dirimitur. Vbi vero quantitas oxygenii augetur, ut in gas nitroso, tunc illius cum azoto coniunctio intima fieri videtur, oxygeniumque non tam facile secernitur. Idem et de principio caloris poni potest. Antequam enim principium caloris substantiis intime admisceatur, minor eius quantitas vires adhuc proprias facilius exserit, aliis substantiis facilius admouetur eo que calefacit. Vbi vero maior admouetur principii caloris quantitas, tunc intima fit coniunctio, qua corpora vi illius repulsiva magna extenduntur eo que ipsum

8. dec. 1811. 7. 20. 11. 1811.

ipsum iunctum neque facile dirimi neque sentiri potest. At vero si acido nitroso vel muriatofo maior tribuitur oxygenii copia, quam cum basibus intime iungi possit, tunc oxygenium vires facilius exserit, ita ut aliis substantiis adfinibus facile accedat. Idem fere de calore. Vbi nempe quantitas principii caloris in mixtione quadam ita augeatur, ut ab istis quidem substantiis vindicari nequeat, tunc de novo facilius separatur ideoque calefacit.

Aptissime quidem SCHELLING, principium caloris, inquit, y) neque in corporum poris dissipatum, neque chemice penetrans illa calefacit, sed ab ipsis retropulsum sensum calorem adficit. Principii caloris quantitas, quae circa quodcunque corpus conglobatur, calorem specificum definit. Gradus vero caloris in corpore s. eiusdem temperatura, quantitate principii caloris, quae ad hanc temperaturam communicandam necessaria sit, neglecta, calor est thermometricus.

§. VIII.

” Cum principium per se calidum ponи non pos-
” sit, quod principium etsi non per se calidum
” tamen aliis substantiis adiunctum calorem ex-
” serat, ponendum erit. At vero his factis ana-

y) Von der Weltseele cet. S. 43.

"logia laederetur, cum v. c. oxygenium non
"cum omnibus sed cum quibusdam tantum sub-
"stantiis constituat acida, principium vero ca-
"loris in omnibus calorem
"excitet."

Nulla quidem ratio obesse videtur, quae principium per se calidum, i. e. quod per se calore adficiat, neget. Imo modus, quo sensus nostri a materia adficiuntur, cum a virium quae illi insitae sunt primituarum ratione pendeat, et haec quidem talis ponenda (etsi mathematice construi non potest), ut calore ipsa adficiat. Attamen, etsi materia per se calida ponenda non esset (quod vero concedendum non puto), nulla denuo ratio obesse videatur, quae non omnia corpora a principio caloris calefieri posse probet. Etsi enim eiusdem vires coerceantur, tamen gradu quidem diuerso exseri possunt. Nam cum principii calorici vires repulsivae maximi quidem esse gradus ponantur (quod nemo quidem negabit), tum quo magis cum ceteris substantiis extendatur, eo minor illarum intensitas atque inde caloris gradus minor, quo minus extendatur, eo maior virium repulsuarum actio eoque maior calor. Quae quidem experientia

pro-

probantur. Nempe cum corpus quoddam magis extendatur (si nempe solidum sit liquidum, liquidum vapor vel gas) et principii caloris vires repulsuæ gradu minuantur indeque, quod oritur, frigus. Cum vero corpus quoddam in spatiū repelletur angustius, tunc et illae vires augentur indeque, qui euoluitur, calor.— At vero haec subtilitas neutram necessaria videtur, cum principium omnino per se calidum poni possit. Quod enim non omnibus substantiis iunctum, sed ab iis retropulsum calescit. Itaque et analogia, quae adducitur, non laeditur. z)

Haec quidem fuere, quae de argumentis illis principio caloris a SCHERER oppositis monenda puto, quaeque quidem illius negationem ex illis collectam in dubium reuocent. Transgrediamur itaque ad

§. VIII.

- z) Praeterea nondum probatum est, quod oxygenium cum singulis substantiis iunctum acida non constituat. Imo a sola eiusdem in mixtione ratione quantitatua ipsa oxydatio pendere videtur, quippe cum plura oxyda ut arseuici, molybdaeni, wolframii, stanni (Herbstaedt), copia oxygenii aucta, in acida transmutata sint. Forsan et cetera oxyda eandem quidem legem seruabunt.

§. VIII.

*Quae scilicet caussas, quibus a SCHELLING principium caloris negatum est,
considerat.*

Nemo quidem rei peritus, quae sint SCHELLINGI in physica et chymia stabienda merita, non agnosceret. Viam enim adhuc fere ignotam aperuit, atque aequa constans ac prosperus, qua ingredi non horruit, via satis infesta progreditur. Attamen quae de principio caloris negando commentatus est argumenta ea, qua cetera eaque plurima ab illo disserit gaudent, firmitate atque stabilitate fere carere videntur. — Quanquam vero illa in libro serius edito ^{a)} fere retractare videatur, ubi nempe theoriam de calore fere nouam protulit, principiumque caloris (certe in mere physicis) non negandum putat, tamen cum alii ipsum sibi auctorem adferant argumentisque illius videntur, haec quidem consideranda censeo.

Ipse scilicet auctor materiam lucis probare, caloris negare tentauit. At vero caussae, quae il-

lam stabiliant, vere non inualidae et hanc probant.
Haec enim auctoris de materia lucis non negan-
da:^{b)} "Saepius nuper quaeſierunt, an lux sit ma-
teria ſui generis? At vero quaenam materia ſui
generis eſt? Imo omnis quae nobis dicitur mate-
ria ipsius materiae (Schematis) eſt varietas f. mo-
dificatio. Sin autem lucem ut vim conſideras,
equidem contra nihil aliud in nos agere poſſe ad-
firmo, niſi vires. Quodſi vero materiam lucis a
phantasia productam eſſe putas, equidem contra
oppono, quaenam materia inde non oriatur?
quae materia ſit extra animum noſtrum?" —

Quae quidem, ſi loco lucis calorem ponis,
eadem qua illam et hanc defendunt vi. At vero
vnicum modo adlatum eſt argumentum, quod
materiam lucis defendat, caloris offendat. Nam,
lux materia eſt inquit, "cui qualitas eſt defi-
nitā, " calor vero materia non eſt, ſed modo quali-
tas cuiusque materiae. Omnia enim corpora
calefieri atque calere poſſunt. Vna vero materia
adhuc ſola (gas nempe oxygenium) illum elati-
tatis gradum attingere valet, vbi lux adparet."

Contra

b) Ideen zu einer Philosophie cet. S. 192—197.

Contra haec quidem monendum puto, vt **omnia** corpora vt calesieri, ita et collustrari possint. Ut lux enim corpora collusirat, dum ab illis repercutitur, ita et illa calefcunt calore retropulso. Itaque et lux cuiusuis materiei qualitas dicenda est, vt omnes, quidem substantiae nonnisi qualitates sunt. Quae vero ad philosophiam non ad physicam, quippe cum haec quidem illas qualitates specificas substantias dicat. Praeterea et quidem gas oxygenium in lucem transmutari, non tam firmum ratumque est, vt lucis ex vnico corpore mutando ortus, indeque materia lucis probari possit.

Ne praeter necessitatem plura de his verba faciamus, cum quisque quidem, cuius interest, illum librum legerit, modo de caussa, quam ipse posuit auctor, caloris quaedam monebo. Calorem nempe posuit esse phaenomenon materiei e statu magis elastico in minus elasticum (vt e forma vaporosa in liquiditatem cet.) transgredientis. — At vero haec positio non modo caussam caloris non expedit, sed ne phaenomenon quidem explicat. Solummodo vnicum phaenomenon, quod in calore sentiendo adest, illis tangitur. Ex illis enim

non explicatur, quomodo illa elasticitatis minutio calore adficeret valeat. Neque explicatur, vnde, si materiae cuiusdam elasticitas minuitur, necesse est, ut alienae materiae elasticitas augeatur, quod vero experientia constat. Vapor enim aqueus dum liquefcit, tantum caloris mittit, ut aqua admota inde fiat vapor. . Quid? quod si v. c. cera fricatur, nonne mollitur? nonne e solido statu in liquidum transire incipit, et si calore adficiat? — Praeterea nonne caufsa quaedam materialis ponenda est, quae istam elasticitatem definiat atque commutet (Conf. §. VII.)? quae que elasticitate mutanda rationem virium primituarum immutet ita ut vel vis repulsiva vel attractiva pro ratione augeatur vel minuatur, ipsa vel abeat vel adeat? — Ceterum illi sententiae opponendum videtur, quod non solum ex elasticitate, quod iam adnotauimus, minuenda nobis calor adeat, sed etiam frictione atque communicatione. —

§. X.

De experimentorum a RUMFORD institutorum, quae sit in nostram materiam, vi.

Postremo, an ex illis quidem experimentis de calore

calore frictione euoluendo factis c) principium caloris, quod nempe factum est, negandum sit, inquiramus.

Iam pridem quidem, vnde calor, qui ex corporibus terendis oritur, deriuandus sit, dissenserunt physici. Inter eos nempe, qui principium caloris non negabant, alii ipsum ex aëre alii ex corporibus confricandis euolui probarunt. Vtrique vero parti argumenta non parui quidem momenti obiici possunt. — Principium enim caloris ex corporibus confricandis dissipandum negatur eo,

a) quod (ceteris, v. c. magnitudine, laeuitate, superficie corporum paribus) calor eo facilius euoluatur quo facilis corpus tritum calorem conducat, i. e. quo minor eius calor specificus. Sic v. c. a plumbo trito corpora vicina facilius calefiunt, quam a ferro, a ferro vero facilius quam a ligno; itaque, illo posito, ea, in quibus minus est caloris, corpora plus caloris dissiparent, — quod theoriae obest.

b) Quod principii caloris, quod frictione

C 4

erui-

c) Quibus experimentis, cum in Allgem. Journ. der Chemie B. I. H. I. S. 9—31. enarrata inueniantur, enarrandis me liberatum habeo.

eruitur, multo maior sit copia, quam in corporibus promta ponenda est, quippe cum magnum quidem caloris gradum ex eodem corpore fricando perpetuo excitari posse doceant et illa experimenta. d)

c) Quod corpora solidiora, v. c. cera, terendo liquecant atque emoliantur, quod vero illa quidem maiore principii caloris copia donari indicat; ideoque illa sententia, ex qua corpora calorem mittunt, theoriae ceterisque experimentis contradicit.

d) Quod modus, quo principium caloris fricando e corporibus euoluatur, atque caussa inde explicari nequit. —

Altera vero sententia est, ex qua principium caloris per aërem dissipatum illum calorem excitet. Cui quidem sententiae respondet quod explicatu sit facilius, cur corpora eo facilius terendo calorem mittunt, quo facilius ipsa calorem conducant. Aëris quidem elasticitas, quae inde minueretur, omnino notabilis esset, nisi ipse aër facillime calorem conduceret, ita ut pars aëris corporibus terendis proxima eoque calore priuata a remotis calorem amissum

d) Allgem. Journ. d. Ch. H. I. S. 16. S. 24. —

missum statim recuperet. Quia vero vi calor ex aëre corporibus tritis admoueatur, non facilius explicatur, quam vnde ferro trito vis magneticæ. — Et huic quidem sententiae obiciuntur.

a) primum illud experimentum a PICTET factum, quod in spatio aëre, vt dicitur, vacuo maiorem quidem caloris copiam frictione excitari docet. At vero contra experientia, calorem corporum adfinium ab hoc spatio (quod aëre plane vacuum dici non potest) facile dirimi, docet, quod illi quidem sententiae non modo non contradicit sed bene congruit.

b) Deinde vero nuper experimenta illa Rumfordiana obiciuntur, ybi nempe, aëre a corporibus confricandis semoto, nihilo minus calor excitatus est. At vero contra haec non absque iure bibliothecae britannicae editor monuit e), in illis quidem experimentis corpora confricanda corporibus circumdata fuisse, quae calorem ab aëre externo conducere valeant, nempe metallo. Et quidem aquam tertio experimento adhibitam calorem conducere puto. Nuperrime quidem fuerunt, qui calorem ab aqua conduci non posse adfirmarent. f) Attamen sententia in notionibus

G 5

e) Allgem. Journ. d. Ch. B. I. H. I. S. 117.

f) Annal. der Physik von GILBERT. B. I. St. 2. S. 44. ff. — St. 3. S. 323. ff. —

bus definiendis posita est. Schelling quidem, qui, calorici conductorem esse, inquit ^{g)}, corpus cuius materia caloris propria principii caloris, quod extrinsecus agit, vi excitata hoc repellit; quod vero in iis, quae calorem conducere non valent, modo propria elasticitate hoc moueatur, aquam calorem conducere plane non posse colligit. — At vero haec quidem definitio experientia probari non videtur, quippe cum ne ad eam referri quidem nequeat. Quo nempe experiendum, an principium caloris propria vel aliena vi repellatur? —

Illa quidem experimenta Rumfordiana et omnino caloris terendo euolutio ab illorum quidem sententia, qui calorem e motu corporum deriuant, non abhorre videntur. Attamen, quod in his explicandis in orbem explicemur, supra iam probatum videatur. Ceterum, illo posito, quo vehementius fricentur corpora, eo facilius calefieri deberent, quod vero experimentis a PICTET factis negatur. —

Vnde vero iste calor corporibus tritis excitatus deriuari potest? — Evidem, nisi illi, ex qua calor ex aëre euoluatur, quaeque præ ceteris apta videtur,

^{g)} Von der Weltseele. S. 58.

Sententiae accedere velis, hanc de calore theoriae la-
cunam adhuc explendam dari puto. — Etiam nu-
perrime quidem alia hypothesis, quae illud phaeno-
menon explicet neque assimilis est theoriae a PICTET
et DE LVC stabilitate, instaurata est. Auctor nempe *h)*,
materiam illam caloris vndique dissipatam frictione vi-
brari posse, ponit, quod vero principium caloris vi-
bratum corpora calefacere possit, ita ut temperatura
corporum augeatur a) et principii caloris in illis copia
aucta, b) et illo, et si non aucto, tamen vibrato. —
Attamen vibratio sine argumentis ponitur, ideoque
quae auctor de ipsa materia pluribus quidem verbis
idque mox differere promittit, exspectabimus.

Extremo huic libello sententias quidem a viris
de physicis iuuandis meritissimis de principio caloris
non negando latas, adiungere liceat,

Haec nempe LINKII *i)*: "Die Lehre, dass die
Wärme eine Bewegung der feinsten Theilchen der
Körper sei, ist, genau genommen (addelein quidem
ostensiue, neque vero apagogice) ganz unwiderleg-
bar."

h) Allg. Journ. der Chem. B. 2. H. 9. S. 344.

i) Beyträge zur Phys. und Chem. St. 2. S. 2.

bar. Dem Vertheidiger derselben ist es erlaubt, die Art der Bewegung dieser Theile, ja auch gewissermassen ihre Natur so anzunehmen oder zu erdichten, wie es ihm beliebt. Er müfste also wenig Scharffinn oder Gewandheit besitzen, wenn er nicht jede Erscheinung erklären, auf jede Frage eine Antwort geben könnte. — Aber eben diese Freiheit, welche der Einbildungskraft gelassen wird, die Beschaffenheit der kleinsten Theile zu dichten, wie es ihr gefällt, ist der Grund, warum eine solche Hypothese verwerlich ist. Sie zieht uns von der Untersuchung der Natur, der wahren und einzigen Beschäftigung des ächten Naturforschers, zu leicht ab, sie lockt uns in Hirngespinste und verführt uns zu Grübeleien, von denen wir selten vorher sagen können, ob die Natur sie bestätigen wird.” —

Aptissime quidem et acutissime defunctus LICHENBERG ab vniuersa republica literaria maxime quidem desideratus k): “Freilich wird von der eigentlichen Natur des Feuers immer noch vieles vor unsren Augen verborgen bleiben, allein wenn auch alle diese Vorstellungsarten von der absoluten Wahrheit sehr weit entfernt bleiben, so haben sie doch immer für

k) ERXLEBENS Natrlehre. VI. Auflage. S. 453.

uns

uns einen sehr grossen relativen Werth, sie sind schickliche Bilder uns die mannigfaltigen Erscheinungen darunter im Zusammenhang zu denken und uns die Kenntniß derselben zu erleichtern. Gesetzt die Ursache der Hitze sei kein Fluidum, es sei etwas wo von sich nichts gleiches in der Natur fände, so ist doch nicht zu läugnen, dass sich die Erscheinungen, so weit wir sie kennen, sehr schicklich unter dem Bilde eines flüssigen Wesens denken lassen, und ist ein solches Zeichen glücklich gewählt, so kann es selbst dienen den Geist auf neue Verhältnisse des unbekannten Wesens zu leiten. — Und was ist dann das Reelle in unsern Vorstellungen von Dingen außer uns überhaupt und was haben sie für Verhältnisse zu denselben? Laßt uns daher immer jene Bildersprache studieren und uns bemühen ihr mehr Reichthum zu geben, so treffen wir am Ende vielleicht die Wahrheit so, wie sie der unterrichtete Taubstumme endlich trifft, der unsere Sprache für das Ohr, für eine für das Auge, und was eigentlich Töne sind, für Bewegung der Kehle und der Lippen hält, aber indem er sich die letztere zu sprechen bestrebt, auch demjenigen Sinne, ohne es zu wissen, vernehmlich spricht, dessen er gänzlich beraubt ist." —

72

Am 20. April 1737 fand ein Prozeß vor
dem Reichskammergericht zu Wittenberg statt.
Die Angeklagten waren der Kurfürst von Sachsen
und der Herzog von Sachsen-Gotha-Altenburg.
Der Prozeß wurde auf Antrag des Kurfürsten
aus dem Reichskammergericht nach Sachsen verlegt.
Die Angeklagten wurden beschuldigt, daß sie
die Rechte des Kurfürsten von Sachsen verhindert
hätten, die Kurwürde zu übernehmen.
Der Prozeß wurde am 20. April 1737 abgeschlossen.
Die Angeklagten wurden freigesprochen.
Der Prozeß wurde am 20. April 1737 abgeschlossen.
Die Angeklagten wurden freigesprochen.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0237608

